DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

VERMIBVS MEDICATIS

QVAM

ILLVSTRIS MEDICORVM ORDINIS
CONSENSV ET AVCTORITATE

IN

ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

PRO

OBTINENDIS SVMMIS

IN

MEDICINA AC CHIRVRGIA HONORIBVS

D. XII. DECEMBR. ANNI MDCCLXXXVI.


EXHIBET ET PVBLICE DEFENDET

JOANNES JVSTVS GVILIELMVS FORCKE,
SPRINGA-HANNOVERANVS.

GOETTINGAE,
TYPIS HENN. MART. GRAPE, ACAD. TYPOGR.



15/-



PROOEMIUM.

Quicunque veterum de multis medicaminibus eorum aevo in officinas receptis commenta attentiori paulo animo perlustrat, is profecto non mirari satis poterit eorum in determinanda corporum salutari efficacia confidentiam, & palpare quasi manibus, quantum subsidiariis scientiis, chemiae praesertim & historiae naturali, debeat, qualis hodie excolitur atque excercetur medicina: Quot inefficacia corpora pharmacopoliis olim obtrusa, quot aegrotis, non prohibita sic, uti quidem debebat, morbi violentia saepius peremptis, ingesta! Quot & his & aliis reapse non iner-

tibus attributae virtutes, a quibus plane aliena ſunt, quot ridiculae! Quoties, dum fictitias has virtutes, inertia haec medicamina ſeſquipedalibus laudibus cumulabant, veras virtutes, efficaces medicinas, quamvis ipſis proximas, aut ignorarunt, aut neglexerunt certe Veteres! Exemplo ſit contemta multis vermium claſſis, cujus hiſtoriam medicam peragrare mecum conſtitui: Quantum luminis naturalis ejus hiſtoria recentiorum PALLASII a) O. FR. MULLERI b) GOEZII c) BLOCHII d) WERNERI e) *aliorumque, qui non novis modo ſpeciebus, ſed generibus adeo atque ordinibus auxerunt, induſtriae ac laboribus acceptum referat, inter omnes conſtat.*

a) v. praeſertim ejus diſſert. de infeſtis viventibus intra viventia. Lugd. Batav. 1760. & elenchus Zoophytorum. Hagae Comt. 1766. 8.

b) Hiſtoria vermium terreſtrium & fluviatilium. Hafniae & Lipſiae. 4. V. I. II. 1774.

c) Verſuch einer Geſchichte der Eingeweidewürmer thieriſcher Körper, Blankenb. 1782. 4.

d) Von der Erzeugung der Engeweidewürmer und den Mitteln wieder dieſelben. Berlin 1782. 4.

e) Vermium inteſtinalium praeſertim Taeniae humanae brevis expoſitio. Lipſiae, 1782. 8.

§. I.

§. I.

Quum de vermibus loquor, in ufum medicum adhibitis, veros volo ab immortali LINNAEO hoc nomine infignitos, neque huc refero, quod & communi loquendi ufu non raro contigit, & auctoribus aliquando adeo recentioribus, aut infecta alis carentia, aut larvas aliorum. Difcedunt ab his, quod loco antennarum tentaculis fint inftructi, quod plerique certe, pedibus careant, & nullam, notabilem faltem, per omnem vitam fubeant metamorphofin.

§. II.

Diftribuit LINNAEUS vermium claffem in quinque ordines, qui finguli unum vel alterum continent animal, aut fuo ipfius corpore, aut habitaculo fuo in medicorum ufum cedens: Sunt ex ordine vermium inteftinorum, qui fimpliciffima fua fabrica & defectu tegminis facile diftinguuntur a reliquis, Lumbricus terreftris et Hirudo medicinalis; ex ordine molluſcorum, qui, quamvis nudi, brachiis tamen gaudent, Limax rufus & Sepia officinalis; ex ordine teftaceorum, qui dura calcarea tefta obteguntur, Mya pictorum & margaritifera, Donacis atque Veneris aliae atque aliae fpecies, Oftrea edulis, Mytilus margaritiferus, Murex ramofus, Turbo cochlus, Helix pomatia, Dentalium elephantinum & entalis; ex ordine Lithophytorum, quae facie ftirpis in ramos exeuntis gaudent, fed lapidis inftar dura, Madrepora oculata; ex ordine denique Zoophytorum, quae fimili facie gaudent & molliora funt, Ifis nobilis, Gorgonia antipathas, Alcyonium burfa, Spongia officinalis & Corallina officinalis.

§. III.

Primo igitur cosiderandus venit Lumbricus terrestris, Galeni jam commendatione celebris & sequentium medicorum immeritis laudibus famosus, eo nomine ab immortali Linnaeo a) salutatus, corpore tereti ad latus poro pertuso, ephippio pone corporis mediam longitudinem elevato, & annulis distinctis, ex quibus illud corpus conflatur, & octo aculeorum vel potius setarum retrorsum directarum ordinibus conspicuus b). Habitat in terra, praesertim spongiosa, ex qua tempore pluvio aliquando prodit, ut plurimum dilute rubens, crassitiem calami scriptorii & longitudinem quinque digitorum nunc superans, nunc nondum assecutus.

§. IV.

Extus & intus adhibitum vermem istum in arthritide & doloribus colicis alii c), in ictero, hydrope, lienis morbis, paralysi, apoplexia, convulsionibus, spasmis, morsu canis rabidi, aurium affectibus, comedonibus, panaritio alii d), in arthritide praeprimis scor-

a) Systema naturae. Holm. 8. Edit. XIIma. T. I. P. II. 1767. p. 1076.

b) v. de his Illustr. Praecept. pie colend. Murray de vermibus in lepra obviis & de lumbricorum setis observationes. Goett. 1769. 8.

c) Hermann Cynosura materiae medicae, brevibus annotationibus exornat. a I. S. Henninger diffusius explanata curante Boecler. Argent. 1726. 4. P. 2. p. 53.

d) Boecler ibidem p. 54.

ſcorbutica e) alii prodeſſe aſſeverarunt, illique virtutem diureticam, diaphoreticam f), diſcutientem, reſolventem g), anodinam h) adeo tribuere haud dubitarunt; recentiores quoque nonnulli i) in catalogum remediorum uſualium receperunt; eum in finem aut vivus membris arthriticis applicatus, vel vivus cum vino vel aqua graminis infuſus, vel cum aqua, aliis adhuc additis extus & intrinſecus adhibitus k), aut vino mundatus & ſuffocatus lentoque poſtea clibani calore exſiccatus l); pararunt ex eo per deſtillationem ſiccam & ſpiritum empyreumaticum m) volatilem dictum, & ſal volatile, addita aqua aquam deſtillatam n), adfuſo vini ſpiritu ſpiritum lumbricorum vinoſum o), vel abſtractitium, infundendo cum ſpiritu vini ſale tartari acuto, eſſentiam antarthriticam, coquendo cum oleo oleum lumbricorum terreſtrium p), lumbricos, vitro, poſtea obturando & maſſa panis

obvol-

e) Pharmacop. Wirtembergica. Stuttgard. 1754. fol. P. I. p. 131.

f) v. b. Vogelium hiſtor. mater. medicae. Edit. nova. Francof. & Lipſ. 1760. 8. p. 346.

g) Boecler l. c.

h) Pharmacop. Wirtenbergica l. c.

i) e. g. Clar. Hagen Lehrbuch der Apothekerkunſt, dritte Ausgabe, Koenigsb. und Leipz. 1786. 8. p. 87.

k) Hermann l. c.

l) Pharmacop. Wirtemb. l. c.

m) ibidem P. II. p. 177.

n) Schroeder pharmacop. medico chemica oper. Rommelii 4. 1685. Ulmae. p. 888.

o) Pharmacop. Wirtemb. P. II. p. 177.

p) Pharmac. Wirtemb. P. II. p. 116. nuper denuo a Cl. Theden in neuen Bemerkungen und Erfahrungen. Berl. und Stett. 1771. 8. p. 72. ad augendam balneorum ſtillatitiorum vim commendatum.

obvolvendo, immittendo, & cum reliquo pane clibani calori exponendo liquorem lumbricorum q).

§. V.

Veriſſime tamen multiplicem hanc efficaciam nauſeoſi vermis negarunt duumviri in damnandis inertiae veterum medicamentis certiſſime non nimis ſeveri. Alter B. VOGELIUS r), qui ipſiſſimis his verbis: „Qui talem, inquit, virtutem de lumbrico praedicant, nunquam eum indubio experimento, quo ſolo illo dato, tales morbos ſuperaſſent, comprobarunt.„ Alter B. SPIELMANNUS s), „laudant, ait ille, ſine ratione, cum nulla exacta de his viribus obſervatio mihi innotuerit, non audeo uſum multis commendare„.

§. VI.

Quicquid certe efficacis principii continet vermis, ad gelatinam redit, cujus ex libris duodecim vermis unam obtinuit b. SPIELMANNUS t), ut igitur, ſi de ſingulari vermis vi medicata tibi perſuaſum ſit, ſuccus e recenti verme expreſſus cum juſculis exhibitus, omnibus aliis ex eo paratis medicinis praecellat: aſt gelatina illa indole & vi ſalutari eadem eſt, ac illa, quae minori cum nauſea extrahi ex partibus

q) SCHROEDER l. c.

r) l. c.

s) Inſtitutiones materiae medicae praelectionibus academicis accommodatae. Argentor. 1774. 8. p. 528.

t) l. m. c. p. 528.

partibus solidis majorum eorumque esculentorum animalium & potest, & solet; non majorem ergo, quam haec in obvolvenda acrimonia, lubricandis, relaxandis fibris, muco nativo abraso restituendo, non potentius nutrientem praestabit effectum, quamvis inficias non eam, in iis arthritidis, rheumatismi & aliis (§.4.) memoratis malis, in quibus hae indicationes medicae obversantur, indicata forma administratum aliquid praestituram esse.

§. VII.

Quodsi gelatina principium efficax vermis sit, vix opus erit monitu, aquam aut vini spiritum destillatione a verme abstractum omni eo carere, quod singularem prae pura aqua aut spiritu imprimere iis efficaciam posset; & tametsi oleum potentius extrahat, extrahat ipse vini spiritus sale lixivo conditus, qui gelatinae indolem, parcamque in his remediis copiam novit, virtutes a veteribus iis tributas adscribere profecto dubitabit: Et quis quaeso, nostra aetate, persuasum sibi adhuc habebit, spiritum & sal destillatione empyreumatica ex lumbrico extortum proprii aliquid in se continere, quo a simili spiritu & sale ex aliis animalibus & animalium partibus obtento discrepat?

§. VIII.

Majorem atque indubitatam, non quidem chemica partium suarum ratione, sed mechanica potius vi, ore scilicet, serrae instar dentato, & partem, cui se infigit, vulnerante, exserit efficaciam hirudo,

do, & praefertim, quae a medicorum ufu medicinalis LINNAEO u) audit, & in aquis dulcibus, frequentius quidem in ftagnantibus, quam in fluentibus habitat, corpore oblongo depreffo nigricante fubtus cinereo & nigris maculis infignito, lineis fex flavis per omnem dorfi longitudinem excurrentibus, quarum intermediae nigris arcubus notantur, & fingulari corporis motu, quo os & caudam in orbiculum dilatat, facile diftinguenda.

§. IX.

Quamvis exempla proftent animalium & ipforum hominum, qui non atrociffima modo ex deglutitis vermibus his fymptomata perpeffi, fed trucidati adeo fuerunt x); externo tamen ufu a Graecorum inde medicorum temporibus perquam frequenter venerunt, ubi fpiffioribus jufto humoribus infarcta atque obftructa vafa, falutaria ex ea caufa fanguinis praecipue ex ano profluvia impedita y) & ex prohibito hoc fluxu mania & melancholia nata fuit, hinc in haemorrhoidibus coecis & turgentibus commendata eorum ad anum applicatio

u) l. c. p. 1079.

x) LANGIUS opera omn. cum praefat. RIVINI 1704. P.II. C. XIII. p. 70. not. fub litt. p.

y) HERBORT praefide METZGER de Hirudine. 4. Tubing. 1672. J. B. HARTMANN differt. de Hirudine medicinali. Vindob. 1777. 8. Ill. KAEMPF Abhandlung von einer neuen Methode, die hartnäckigften Krankheiten, die ihren Sitz im Unterleibe haben, befonders die Hypochondrie ficher und gründlich zu heilen. Deffau und Leipz. 1784. 8. p. 302.

tio z); laudarunt alii a) loco dolenti ipsi appositos in doloribus arthriticis, alii b) plantis pedum applicatos in tumoribus pedum oedematosis, alii c) in doloribus pedum a diuturna febre superstitibus, in erysipelate, in ipso cancro, alii d) temporibus, gingivis, genis, linguae inferiori parti adhaerentes in dentium, alii e) ad nares adplicatos in sphacelismo cerebri, alii f) ad exteriorem oculi angulum positos in oculorum doloribus & ipsa chemosi g). Proposuit eorum usum

z) Ludwig institut. therapiae generalis. Lips. 8. edit. altera 1771. §. 362. p. 150.

a) de Haen rationis medendi P. XIV. Vienn. Austr. 1770. 8. p. 108. Gisler Kongl. Svenska Vetenskaps Academ. Handl. Vol. XX.

b) Gisler l. m. c.

c) Gisler l. m. c.

d) Ludwig & Vogelius.

e) J. B. Burserius de Kanilfeld institutionum medicinae practicae Vol. III. Milan, 4. 1785.

f) Non in chronicis tantum, qui ex suppressis haemorrhoidibus, Schulze von den Krankheiten in Pohlen p. 64. aut menstruis proficiscuntur Janin observations sur l'oeil. a Lyon & Paris 1772. sed & in acutis siccis Lange de ophthalmia commentat. Tyrnav. 1777. p. 68.

g) Schmucker chirurgische Wahrnehmungen. Berlin und Stettin 1774. P. I. p. 44 – 47. Ill. tamen Richterus, Praeceptor semper colendus, hirudines in hoc affectu non commendat & saepe congestiones aliaque vehementissima symptomata post earum applicationem orta se vidisse, nobis in collegio de oculorum morbis narravit. Hanc opinionem quoque fovent celeb. Bloch. v. medicinische Bemerkungen

usum ad revocanda lochia L. Desbois de Rochefort h) & ad anginam membranaceam tollendam Ill. de Rosenstein i).

§. X.

Circumspectionem tamen in hoc ipso usu requiri k) per se patet; eligi debent vermes tenuiores ac longiores capite exiliore instructi, iique aliquot dies, antequam adplicantur, in aqua pura asservandi, tum ut mundentur, tum ut magis esuriant vel potius sitiant; pars, cui admovendi sunt, linteo aut spongia madida & tepida sovenda & fricanda, & si vermis adhaerescere detrectet, aut post aliquod tempus segniorem se gerat, lacte, vel recente cujusdam animalis sanguine illinenda; tunc demum duobus anterioribus digitis linteo comprehensus aut in arundine secundum longitudinem discissa collocatus adplicatur l).

§. XI.

Satiatus sanguine vermis ut plurimum sponte sua delabitur; sin id fiat, & nimia sanguinis jactura metuenda sit, sale aut cinere adsper-

kungen. Berlin 1774. 8. p. 58. 59. & Taube v. diss. de oculorum inflammationibus. Goett. 1783. §. 14.

h) An suppressis prioribus lochiis hirudines. Paris 1778.

i) Underrältelse om Barns Sjukdomar. Holm. 1771. Ed. tert. germanic. cum auctariis Ill. Praecept. Murray, Ed. 5. Goett. 1785. 8. p. 672.

k) v. de hac Ill. Gruner programm. de recta hirudinum applicatione. Jenae 1780. 4.

l) v. Platneri institutiones chirurgiae rationalis, Lipsiae 1745. 8. p. 667.

adſpergi debet; quodſi autem pro fine medici nimis lente & debiliter operetur, abſcinditur cauda, ut, quem ore attraxit, ſanguis altero extremo ſtatim effluat: Cavendum praeterea eſt, ne ſenſilibus corporis cavis vicinus in illa v. g. in os, fauces, anum irrepat; ſin id factum fuerit, in illis larga potuum ſalſorum copia trucidandus, ex ano clyſteribus ſalitis eliminandus.

§. XII.

Sequitur Limax rufus m), qui colore ſubrufo, habitatione in terra continente, corpore oblongo repente, ſupra clypeo carnoſo, ſubtus diſco longitudinali plano, foramine pro genitalibus & excrementis ad latus dextrum poſito, tentaculis quatuor ſupra os affixis diſcerni facile a reliquis ſuae claſſis poteſt; jam olim, potiſſimum tamen extrinſecus adhibitus n). Commendatus fuit immerito cinis, ab alio animali cinere vix diverſus, in fiſſuris ac ſcabritie cutis, & in ipſa ſynovia o); praedicata eſt deſtillata ab eo aqua, quae tamen pituitae, qua ſola prodeſſe limax valet, continere in ſe nihil poteſt p), ad fucandam faciem, corroborandum hepar, ſanandam adeo atrophiam q) laudatus liquor, in quem conciſi, & pari ſalis communis copia conditi diffluxerant, ad dolentes arthritide partes oblinendas, verrucas ſcalpello jam abraſas averruncandas, prolapſum anum reſti-

 tuen-

m) Linnaei l. c. p. 1081.

n) Schroeder l. c. p. 822. 823.

o) Idem p. 822.

p) The new Diſpenſatory. IId. Edit. London. 1765. 8. p. 170.

q) Schroeder l. c. p. 822.

tuendum r): Pinguedo, quae aquae cum iis coctae & refrigeratae ſupernatat, fronti cum ovi albumine ad ſedandos oculorum dolores, tollendam eorum rubedinem, intercipiendos eorum fluxus, inpoſita; poſteriori ſine adhibitus quoque fuit mucus, quem compuncta animalia reddunt s): Qui, quot inſint limacibus integris ex opinione veterum virtutes, ſcire cupit, adeat SCHROEDERUM t) ipſum.

§. XIII.

Omnes tamen, quae revera inſunt his vermibus, vires medicatas, in pituita illa tenaci reſidere, tam certum eſt, quam quod certiſſimum; ex hoc fonte ergo deduci debent omnes, qui inde exſpectantur, effectus, iis ſatis ſimiles, quos a gelatinarum animalium uſu polliceri nobis poſſumus: Ita lac cum eis coctum tabeſcentibus commendarunt alii u); juſcula ex iis parata, quibus, ſi acidum in ventriculo adſit, ſal quoddam lixivum adjici poſſet, alii x); juſcula autem parari eum in modum poſſunt: Coquuntur limaces cum aqua, quae coquendo efficaces partes ex radice rumicis acuti extraxit, & nunc vel libra circiter boni juſculi ex carnibus addito pugillo rumicis acetoſae & ſcandicis cerefolii confecti, vel poſtquam refrixit illa aqua, albumen & vitellus trium recentiſſimorum ovorum, unciae ſex

ad

r) Idem l. c. p. 823.
s) Idem l. c. p. 822.
t) l. m. c.
u) New Diſpenſatory p. 170.
x) Ill. KAEMPF l. c. p. 311. Quarin animadverſiones practicae in diverſos morbos, Viennae Auſtr. 1786. 8. haemoptoicis commendat.

ad octo aquae cujusdam per fermentationem paratae, & sesquiuncia circiter aquae menthae spirituosae admiscentur: Hoc jusculum per quatuor vel sex septimanas jejuno aegroto singulis mane exhibetur.

§. XIV.

Egregie etiam conducit forma gelatinae, in quam limaces sequenti modo redigi queunt: Recentes conscinduntur in pultem, & pauca adfusa aqua coquuntur, donec aequabiliter per aquam diffusi sint; haec gelatina in restaurandis viribus & succis, in obvolvenda acrimonia perquam efficax, aut qualis nunc est, aut sero lactis diluta adhiberi, aut in tabulas siccas inspissari potest, quae nunc facilius asservari & ab alio in alium locum mitti queunt y).

§. XV.

An alia sit limacis species forsan agrestis, cujus pituitae discutientem vim tribuit Celeberr. Tode z), ego quidem decidere nolim.

§. XVI.

Excipit limacem maris incola, sepia ab ejus in officinis usu officinalis dicta a), corpore carnoso, cujus pectus vaginae includitur & ad basin tubo instructum est, ore corneo terminali inter octo cotyledonibus in interiore latere adspersa brachia intermedio ab aliis ver-

 mium

y) Ill. Kaempf l. c. p. 371.

z) Medicinisch-chirurgische Bibliothec V. I. p. 206.

a) Linnaei l. c. p. 1095.

mium generibus, tentaculis duobus longioribus pedunculo proprio insidentibus ab octopodia, quae cibo inservit, cauda nulla a Loligine facile distinguenda.

§. XVII.

Fuere omnino b), qui & ova hujus vermis, tanquam medicamentum renes atque ureteres abstergens, menses urinamque ciens, & succum illum atrum proprio receptaculo conclusum tanquam alvum movens intus adhibuerunt: Inprimis autem inde a DIOSCORIDIS temporibus usu medico inclaruit sub nomine Os sepiae, materia quaedam durior & siccior scuti oblongi utrinque angustioris ad instar dorsum animalis obtegens; est illa albissima e squamis compacta, intus materia laxa similiter alba farcta, &, si levem salsum ab aqua marina conciliatum saporem exceperis, parum sapida, acidisque penitus solvitur, ut jam ex eo conjicere possis, non esse, nisi, materiam calcaream, pauculo sali marino & glutini animali, quod dum destillatur, pauxillum spiritus urinosi & olei empyreumatici praebet, junctam.

§. XVIII.

Quae si animo tecum volvas, non miraberis modo tot tantisque laudibus sublatum, inter abstergentia, diuretica, calculos pellentia, strumaria, antasthmatica, ophthalmica c) fuisse relatum, sed ad nostra usque tempora d) vim adstringentem in gonorrhoea et fluore albo praeser-

b) SCHROEDER l. c. p. 877.

c) SCHROEDER l. c. p. 876.

d) HERMANN & BOECLER l. c. p. 17. & 18. VOGEL l. c. p. 358. CRANTZ l. c. p. 87.

praefertim efficacem ipfi effe adfcriptam, quam tamen alii e) jam dudum negaverunt.

§. XIX.

Poffe tamen cujuscunque alterius terrae calcareae in modum acidum in ventriculo dominans abforbere, & morbos ex eo fonte propullulantes tollere, quis eft, qui neget! neque tamen eum in finem, quemadmodum HERMANNUS f) fuadet, vitrioli fpiritu, quo in gypfi speciem convertitur, humectari debet: Poffe porro igne uftum hoc os, prouti aliam calcem vivam, abftergentem vim exferere, poffe denique, minori omnino cum detrimento, quam quidem pumex, fi modo interior ejus fpongiofa pars eum in finem adhibeatur, dentibus mundandis infervire, fponte fua patet; plures ideo etiamnum ingreditur pulveres dentifricios. g)

§. XX.

Teftacea five vermes teftacei fua potiffimum tefta apud medicos fuere ufitata; alia calculis in ipforum corpore generatis; pauciora fua carne; pofterioribus accenferi praecipue poffunt eae fpecies, quae, quoniam in aliis atque aliis terrae regionibus nunc plebi, nunc aliis

e) LOESEKE Materia medica, fünfte Auflage. Berlin und Stettin 8. 1785. p. 465. & SPIELMANN l. c. p. 401.

f) l. c. p. 17.

g) e. g. Pharmacop. Wirtemberg. P. II. p. 138. Pharmacop. Suecic. Lipf. & Alton. 1776. 8. p. 87.

aliis etiam in cibum cedunt, pleraeque edulis cognomine a LINNAEO insignitae fuerunt; ita Helix Pomatia h) in terra, Cardium edule i), Ostrea edulis k) Mytilus edulis l) & aliae in mari habitantes: posterius tamen nominata species aliquando, e. g. ad littora Flandriae a Majo ad Septembrem usque, a devorata frequentissime Asteria ophiuro m) atrocissima symptomata n) ipsamque mortem o) excitasse refertur.

§. XXI.

Non hujus est loci, fusius enarrare, quaenam memoratarum specierum varietates sapidissimae sint, & quibus culinae artificiis acui & gratior adhuc reddi sapor iste possit; id solum monere liceat, ipso suo sapore efficaciam qualemcunque indigitari. Commendatae certe fuerunt

h) LINNAEI systema naturae l. c. p. 1244. n. 677.

i) Ibidem p. 1124. n. 90.

k) Ibid. p. 1148. n. 211.

l) Ibid. p. 1157. n. 253.

m) du RONDEAU Memoir. de l'Academie imperiale de Bruxelles, Vol. II. p. 314-322. BEUNIE ibid. Vol. I. p. 242.

n) J. Chn. BAUZMANN Ephem. Ac. Natur. Curiosor. Leopold. Dec. II. A. VIII. Obs. 48. MENZEL ibid. Obs. 197. BENNET Healths improvement or the nature, method and manner of preparing all sorts of food used in this nation. London 1653. 4. MEIBOM apud Ill. Praecept. pie colend. BLUMENBACH medicinische Bibliothek Vol. I. Fascic. 2. p. 377. MEYER ap. Ill. BALDINGERUM neues Magazin für Aerzte Vol. IV. Fasc. VI. p. 489, 490.

o) P. AMMANN Irenicon Numae Pompilii cum Hippocrate. Lips. 1689.

fuerunt ostreae a medicis aegrotis, scorbuto & podagra laborantibus p); commendatae nuperius ab Ill. KAEMPFIO q), qui per plures continuas septimanas singulis mane triginta ad quinquaginta earum deglutiri suadet, tanquam gratissimum multis limacum succedaneum, exhaustis; concessae phthisicis ab Ill. QUARIN. q*). Animal Helici Pomatiae inhabitans, uti similem cum limace (§. 12-14.) structuram prae se fert, ita similem quoque edere efficaciam, valde probabile est; quare quamvis equidem is non sim, qui in veterum jurare verba, & ridicula illa de virtute cochlearum, extrinsecus quoque adplicatarum somnia r) tanquam veracia subscribere velim, ipsam adeo a BOECLERO s) adhuc atrophicis apprime commendatam aquam destillatam quacunque alia pura aqua efficaciorem non habeam, viscore tamen suo in aquam aut vinum transeunte acrimoniae involvendae & restaurando tabidis nutrimento idoneam esse, tussim, ab acrimonia provenientem, suadente jam PLINIO t) sedare, phthiseos, in qua jam SERENUS SAMMONI-

CUS

p) CRANZ materia medica & chirurgica. Vienn. Austr. 8. T. I. 1762. p. 78.

q) l. c. p. 371.

q*) l. c.

r) Quae collecta legere est apud BOECLERUM l. c. Continuat. secund. p. 589-592.

s) l. c. p. 588.

t) Historiae mundi Libr. XXX. Cap. VI. Edit. GALENII fol. 1582. p. 548. 549.

cus u) praedicavit, certae ſpeciei & periodo mederi, aliis etiam tabidi profuturam eſſe ejus carnem, facile concedam.

§. XXII.

Optime vero exhibentur cochleae aut forma juſculorum, v. g. ita, ut octo vel decem ex teſta ſua exemtae leviter mundatae cum aquae libra coquantur, aut forma gelatinae, quae parari e. g. auctore Loeseke x) ſequenti ratione poteſt: Coquuntur centum cochleae, ſex vitulorum pedes, quindecim cancri conquaſſati, binae unciae ſcobis cornu cervi raſae, tres manipuli medullae cycadis (Sagu) in vino prius coctae, manipulus radicis ſiſari, eadem ſingularum ſequentium tragopogonis pratenſis, ſcorzonerae hiſpanicae, apii ſeleri, & herbarum apii petroſelini, ſcandicis cerefolii & rumicis acetoſae portio, quatuor denique poma citrea, ſingula conciſa & contuſa in vaſe tecto cum aqua, donec in pultem abeant; juſculum quieſcenti pulti ſupernatans defunditur & ulterius, donec gelatinae craſſitiem adipiſcatur, coquitur; addi tunc pro re nata poteſt aut ſyrupus rubi idaei, aut vinum aliquod dulce: Qui plures ejusmodi praeſcriptiones legere cupit, evolvat Boeclerum y).

§. XXIII.

Alii autem vermes teſtacei ſuis potius calculis apud medicos fuere quondam celebres, qui in multis, etiam univalvibus z), praeſertim

u) De medicina praecepta ſaluberrima Cap. XIX. Edit. Celeb. Ackermanni. Lipſ. 1786. 8. p. 65. n. 346.

x) l. c. p. 370.

y) l. c. Contin. IIda p. 588. 589.

z) Wallerius Mineralogie überſezt von Denso. Berl. 8. 1750. p. 518.

tim dum testa perforatur aut alio quocunque modo laeditur, ex animalis ipsius damna resarturi, & ingressurum inimicum aversuri corpore pronascuntur a): In binis tamen concharum speciebus Mya margaritifera b) & Mytilo margaritifero c) geniti, prae reliquis tum etiam nunc a gemmariis, tum olim a medicis d) aestimati sunt, margaritarum, perlarum, unionum nomine venientes, quae pro genio seculi, quemadmodum propter externas suas dotes magno in pretio, ac princeps pars splendidioris luxus habebantur & adhuc habentur, ita & singulari & quam maxime salutari in corpus humanum efficacia pollere credebantur: Unum, ex quibus reliquorum ejus aevi opinio elucescit, sufficiat exempli loco audiisse, SCHROEDERUM e): „Cordiale praebent nobilissimum (sunt ipsissima ejus verba) quo balsamus vitae oppressus, viresque exoletae insigniter recreantur ac confortantur, proinde venenis, pesti & putredini resistunt, animum exhilarant. Et hujus rei gratia in tantum ascenderunt honorem, ut vel agonisantium extrema recreatio inde expetatur.„

§. XXIV.

a) Qui plura de hoc ortu scire cupit, adeat REAUMUR Memoir. de l'Acad. royale des sciences à Paris ann. 1717. MEYERUM Abhandlungen einer Privatgesellschaft in Böhmen. 8. Vol. IV. CHEMNICIUM Beschäftigungen der Berlinischen Gesellschaft Naturforschender Freunde Vol. II. & SCHRANKIUM Naturforscher. St. XVIII. p. 71. 72.

b) LINNAEI l. c. p. 1112. n. 29.

c) ibidem p. 1155. n. 246.

d) v. praeter alios GRÜBELII praef. JACOBI diss. de margaritis. Erf. 4. 1708.

e) l. c. p. 334.

§. XXIV.

Actum jam agerem, si post solidas TRALLESII f) ratiocinationes prolixe ostendere vellem, quam vana sit illa spes in calculo ipso posita; praeter paucissimum enim gluten animale, quale etiam in aliis duris animantium partibus occurrit, non continet, nisi terram calcaream, & prae aliis ideo id genus medicamentis terreis nihil praerogativae habet pretiosissima merx, superfluum plane pulverum illorum terreorum in officinis venalium ingrediens. Evanescunt igitur exaggeratae illae jam ab Arabibus medicis perlarum laudes, & nihil superest, nisi terra calcarea, pura creta & testis ovorum vi certe non superior, & harum ad instar acidum in primis viis dominans absorbens, morbosque ex eo fonte promanantes sanans, & si igne uratur, non nisi calx viva, ei simillima, quae ex lapide calcareo coquitur, ut pulvis certe ab HERMANNO g) commendatus, si quid unquam in febre quartana praestitit, reliquis ingredientibus plus debeat, quam quidem huic calci.

§. XXV.

Et ne sexcenta quidem illa artificia, quibus suas margaritas exagitarunt veteres, ad augendum eorum efficaciam, aut ad generandam virtutem, quae non facilius & viliori pretio obtineri sine illis potuit, fecere aliquid; simplicissimum est artificium, quo nativae earum

f) Examen rigerosius virium, quae terreis medicamentis tribuuntur Vratisl. & Lipf. 1740, 4.

g) l. c. p. 31. a.

earum vires conſervantur, & ut facilius exerceant, efficitur, ut mundatae cum aqua, ſi vis, deſtillata quadam atque odorata ſuper lapidem porphyrium in tenuiſſimum & aequabiliſſimum pulverem conterantur, & trochiſcorum in modum ſiccentur; vocatur id praeparatio: Reliqua omnia, in quibus multus eſt SCHROEDERUS h), inutilia ſunt.

§. XXVI.

Abſonum plane eſt, in aqua, quae deſtillatione a perlis abſtrahitur, perlarum aliquid quaerere, quarum quippe partes eo caloris gradu in vapores elevari non poſſunt, ut jam BOECLERUS i) omnem aquae perlarum vim ab addita cinnamomi aqua juſtiſſime deduxerit; & ipſum ſaccharum a perlis denominatum ſuavitatem ſuam, & omne, quo a ſaccharo ſimplici diſtat, diſcrimen, aquae roſarum acceptum referre, nullum amplius eſt dubium: Neque certe aut eſſentia, ſive tinctura, ſive arcanum perlarum, aut flores perlarum, aut ſpiritus perlarum k) aliquid perlarum in ſe continent; prior enim plerumque non eſt niſi acetum aut ſalis communis ſpiritus dulcificatus, & poſterior non niſi acetum.

§. XXVII.

Neque aucta eſt, ſi quae ſit, perlarum vis in magiſterio ſive perlis aceto ſolutis, & inſtillato tartari per deliquium nato oleo

 iterum

h) l. c. p. 334-337.
i) l. c. p. 33. a.
k) SCHROEDER l. c. p. 336. 337.

iterum praecipitatis; & deleta omnis, quae scilicet sola absorbente nititur, in magisterio plumaceo, & magisterio butyraceo, quae non sunt, nisi species gypsi, in sale perlarum, sive aceto, vel berberum, vel limonum succo perlis saturato, in oleo ex spontaneo hujus salis deliquio nato, & in sale sive magisterio ad modum RIVERII confecto, quod praeter succum citri vel aurantiorum acetum quoque ingreditur: Quamvis enim posteriora haec salia terrena facilius solvantur in succis corporis humani inquilinis, tantum tamen abest, ut, quod veteres quidem ab eorum in morbis usu exspectarunt, putredinem arceant, ut potius, si saturatum certe sit acidum, augeant.

§. XXVIII.

Quae de perlis dicta sunt, de matre perlarum similiter valent; venit nempe eo nomine interior testae, in qua perlae inveniuntur, lamina splendida, licet & aliarum concharum e. g. ostreae Ephippii LINNAEI l) simili splendore & colore conspicuae interiores testae m) & a pharmacopolis & ab aliis artificibus eo nomine adhibeantur.

§. XXIX.

Sed viliorum etiam testaceorum minus spectabiles testae cochlearum & concharum nomine fuerunt adhibitae; illarum praesertim testae

l) l. c. p. 1149. n. 215.
m) Pharmac. Wirtemb. P. I. p. 18.

ſtae helicis pomatiae n), harum nunc myae pictorum o) teſtae p), nunc aliarum atque aliarum donacis q) & veneris r) ſpecierum, nunc & ut plurimum oſtreae edulis s) teſtae t) oſtracodermaton quoque titulo medicorum libris inſertae, quamvis teſtae cujuscunque ſub eodem ordine militantis vermis ſive mare ſive aquas mediterraneas inhabitet, eodem cum effectu adhiberi queant u).

§. XXX.

Omnes ſcilicet illae teſtae in eo conveniunt, quod, ſi pauxillum glutinis animalis demſeris, illis innidulans, meraca conſiſtant terra calcarea, hinc omnino chemica indole & medicata vi margaritis quidem haud inferiores, ſed nec creta, ne dicam, magneſia alba, ſuperiores. Eluceſcit inde, quod Ill. Trâllesius x) pluribus jam ſatis ſuperque demonſtravit, quam fallacia ſint veterum de virtute harum teſtarum diaphoretica y), diuretica, febrifuga z), atque adeo alexipharmaca, praeconia.

§. XXXI.

n) Schroeder l. c. p. 822. Vogel l. c. p. 361. 362.
o) Linnaei l. c. p. 1112. n. 28.
p) Spielmann l. c. p. 598.
q) Linnaei l. c. p. 1126-1128.
r) Linnaei l. c. p. 1128-1139.
s) Linnaei l. c. p. 1148. n. 211.
t) Spielmann l. c. p. 180. Loeseke l. c. p. 198. Hagen l. c. p. 87.
u) Loeseke l. m. c.
x) l. c.
y) Schroeder l. c. p. 71. Vogel l. c. p. 355.
z) Pharmacop. Wirtemb. II. p. 36.

§. XXXI.

Optimus eas praeparandi modus est ille, qui simpliciter audit praeparatio; contunduntur scilicet bene lotae testae in mortario lapideo, conteruntur additis subinde paucis aquae guttis super lapidem porphyrium in pollinem impalpabilem, & exsiccantur primo in gypso, post in loco calido, saltim sicco: Si tamen duriores sint, quales v. g. ostrearum testae, postquam sollicite mundatae, & per aliquot dies solis aestui expositae fuerunt, addita paucula aqua in mortario in speciem pastae contunduntur, ad solem siccantur, & tunc in pulverem tenuissimum teruntur.

§. XXXII.

Praestat certe haec simplicior via illa, qua conchis, quae praeparari debent, acidum quodcunque adfunditur: perit enim sic omnis qua pollent virtus; videlicet facultas acidum, quod in primis viis offendunt, absorbendi, dum acido jam satiatae in ventriculum deveniunt: Ita aceto forti infuso prius macerandas esse jubet Pharmacopoea Wirtembergica a), & haec b) & alii c) acido citri succo, qui cum in salem difficulter aqua solubilem d) abeunt, saturari, & sic conchas citratas parari imperant.

§. XXXIII.

a) P. II. p. 36.
b) p. II. p. 35.
c) v. g. vid. Loeseke l. c. p. 198.
d) Hagen l. c. p. 678. 679.

§. XXXIII.

Multum tamen differt virtus harum concharum, si igne ustae fuerint, ab ea, qua aut crudae, aut acido imbutae pollent; ea enim est illarum cum lapide calcareo aut creta communis indoles, ut ignis vi in calcem vivam abeant, & ideo in regionibus maritimis, quibus insignis earum copia suppetit, lapidum autem calcareorum sufficiens copia non raro deest, calx in usum vitae communis & aedificiorum potissimum necessaria ex his coquatur: Conchae igitur calcinatae viribus etiam, quas in humanum corpus edunt, cum calce viva potius conveniunt, cujus efficacitatem salutarem, ut heic loci perstringam, neque finis, neque angusti dissertationis limites permittunt.

§. XXXIV.

Sunt tamen inter medicos non pauci, qui & calcem ipsam ex testaceis his coctam, & aquam calcis ex ea, praecipue ostrearum calce e) paratam alii praeferunt: Remedium illud a Crollio superbo specifici febrilis titulo immerito condecoratum, non est, nisi calx ex conchis usta f); & quam in hydrophobia tantopere praedicavit le Comte g) medicina, non nisi vinum per aliquod temporis spatium ostrearum calci superinfusum.

§. XXXV.

Cum conchis his indole & virtute conveniunt nonnullae dentalii, in oceano europaeo obviae, species, apud veteres in medicamentorum

e) J. G. Kruger experimenta nonnulla cum aqua ostracodermatum instituta. Helmst. 1754. 4.

f) Vogel l. c. p. 355.

g) Histoire de l'Academ. royal. de sciences a Paris. pour l'année 1749. n. 4.

mentorum cenſum delatae h); altera LINNAEO i) elephantinum, alias dentalium (κατ' ἐξοχην) ſive ſyringites dicta, altera apud LINNAEUM k) Entalis triviali, alias dentalii l), entalii, antalii nomine veniens; prioris tamen in locum ſaepius ſubſtituta fuiſſe, viribus certe non inferior cypreae ſpecies, caput ſerpentis a LINNAEO m) cognominata, legitur n).

§. XXXVI.

Cum his porro congruunt opercula nonnullorum teſtaceorum univalvium, Muricis ramoſi o), blattae byzantinae p) vel bizanziae q) vel biſantiae r) ſive unguis odorati nomine olim inclytum, & ſuffitu ſuo hyſtericis, interno uſu tanquam alvum laxans, lienem molliens, humores vitioſos corrigens, commendatum; porro operculum Turbinis cochli s), umbilici, umbilici marini, umbilici veneris, belliculi marini, bellirici marini, fabae marinae, lapidis Margaretae, oculi Luciae, oculi marini nominibus magis notum t), quod umbilico humano impoſitum ſudorem ciere, ſibi perſuaſere Veteres: Huc denique

h) SCHROEDER l. c. p. 871. 872. HERMANN & BOECLER l. c. p. 37. 38. Pharmacopoea Wirtemb. P. I. p. 18.
i) l. c. p. 1263. n. 783.
k) l. m. c. n. 786.
l) apud VOGELIUM l. c. p. 365.
m) l. c. p. 1175. n. 339.
n) BOECLER l. c. p. 28. a. & Pharmac. Wirtemb. l. m. c.
o) LINNAEI l. c. p. 1215. n. 523.
p) HERMANN l. c. p. 13. a. Pharmacop. Wirtemb. P. I. p. 18.
q) SCHROEDER l. c. p. 868.
r) BOECLER l. c. p. 13. a.
s) LINNAEI l. c. p. 1233. n. 613.
t) SCROEDER l. c. p. 911. 912. HERMANN & BOECLER l. c. p. 37-39. a. Pharmac. Wirtemb. I. p. 19.

que spectant cochlearum sive helicis pomatiae opercula, quibus virtutem diureticam, hydropicis praesertim proficuam, tribuerunt Veteres u).

§. XXXVII.

Magis adhuc, quam concharum testis, delectarunt veteres medici coralliis, a quibus quum multo meliora sperarent, inexhaustum fuit in parandis exinde medicinis luxurians eorum ingenium: Non quidem magni fecerunt Corallium nigrum x), Gorgonia Antipathes Linnaeo y) dictum, neque multo carius aestimarunt corallium album, quo nomine eorum plurimi madreporam oculatam Linnaei z) indigitarunt; tanto majore in pretio apud eos erat, tametsi viribus non superius, corallium rubrum, sive uti quidem Linnaeo a) appellare illud placuit, Isis nobilis, mari mediterraneo & rubro inquilina; vividus certe jam rubor pro genio seculi medicos induxit, ut „refrigerare eos (sunt verba Schroederi b), deinde ventriculum & jecur roborare, sanguinem purificare, ac proinde pesti, venenis, febribusque malignis adversari, hominem hilarem efficere, sistere fluxus quoscunque alvi, uteri, penis, gonorrhoeam, epilepsiam infantum praecavere, extrinsecus applicatum ulcera carne explere, cicatrices attenuare, oculorum lacrymas sistere, visumque recreare in collyriis" somniarent, teste Boeclero c) virtutes cordiales & cephalicas tribuerent, & externe

etiam

u) Pharmac. Wirtemb. P. I. p. 131.
x) Homines potius melancholicos reddere perhibebatur Schroeder l. c. p. 325.
y) l. c. p. 1291. n. 9.
z) l. c. p. 1281. n. 36.
a) l. c. p. 1288. n. 6.
b) l. c. p. 325.
c) l. c. p. 132. a.

etiam, vel gestatum solum in collo & brachiis contra incantationes, fascinationes atque terriculamenta commendare non erubescerent.

§. XXXVIII.

Sed quam inanes sunt istae laudationes ad lucem sanae rationis, fidae observationis & experimenti chemici examinatae! Rectissime enim monuit SPIELMANNUS d), nullam prostare fidam observationem, quod prae aliis substantiis animalibus terrestribus aliquid proprii habeant; docet scrutinium chemicum, praeter exiguam glutinis animalis partem non esse, nisi terram calcaream, cum acidis effervescentem, in iis solubilem, ignis vi in calcem abeuntem, & ferri, ad quod, ut praerogativae aliquid & vires adstringentes huic rubro corallio tribuere possent, tandem confugerunt veterum principiorum tenaciores e), aut nihil, aut tam parum inesse, ut calx, quam Gotlandi, nec non rubri ac mediterranei maris accolae ex eo coquunt, neque colore neque alia dote ferrum prodat, a ferro itaque virium, quas reapse possidet, deduci nihil posse.

§. XXXIX.

Qui tamen corallia ex pharmacopoliis exulare nolunt, acquiescant, quaeso, cum BOECLERO f), VOGELIO g), SPIELMANNO h) in facultate eorum, acidum primas vias occupans imbibendi, & morbis inde profecturis medendi, quae si vera atque unica eorum sit salutaris

d) l. c. p. 361.
e) v. g. GEOFFROY Memoir. de l'Acad. royal. des sciences. a Paris p. 1708. LOESEKE l. c. p. 202. CRANTZIUS l. c. II. p. 86.
f) l. c. p. 132. a.
g) l. c. p. 338.
h) l. c. p. 361.

taris efficacia, optimus, ea huic usui magis accommodandi modus ille profecto est, quem (§. XXXI.) tanquam simplicissimum & praestantissimum in medicinis ejusmodi terrestribus praeparandis commendavi; supervacaneum coralliorum magisterium, & omni corallinorum nativa virtute priva illa, in quibus aliud aliudve acidum, sive sit vitrioli sive nitri, sive salis communis, sive aceti, sive citri, sive berberis, sive per siccam destillationem ex ligno guajaco aut melle extortum coralliis nupsit; memoratu ergo vix digna sunt pulvis coralliorum (vitriolatus i), magisterium butyraceum & plumaceum k), nec non corallia cum sulphure calcinata l), in quibus omnibus terra eorum calcarea cum vitrioli vel sulphuris acido in gypsi speciem coicit, sal coralliorum quocunque acido, sive minerali, sive vegetabili, sive nativo, sive per fermentationem aut ignem extricato natum m), & oleum sive liquor n) ex spontaneo hujus deliquio progenitus, tincturae, quae solis absolvuntur acidis, & corallia, quae ignita in aceto exstinguuntur o).

§. XL.

Potentius vero agunt alia; efficaciora sunt corallia in igne usta; quo in calcem abeunt, ast nequaquam efficaciorem illa, quae aut ex conchis aut ex lapide calcareo coquitur: Salutaris est, & gratum in morbis acutis, putridis, malignis reficiens, refrigerans, antisepticum

 syrupus

i) SCHROEDER l. c. p. 327.
k) idem l. c. p. 328. 329.
l) idem l. c. p. 326.
m) idem l. c. p. 327. 328.
n) idem l. c. p. 329.
o) idem, l. c. p. 326.

ſyrupus coralliorum pharmocopoeae Wirtembergicae p), quo magis compoſitum neque tamen potiorem ingenioſus in ejusmodi ſeſquipedali-bus formulis excogitavit MAYERNE q); cave tamen credas, virtutis qua gaudet, aliquid tribuendum eſſe coralliis; perſuaſiſſimum potius tibi habeas, omnem & vim & tinctum omiſſis quamvis coralliis ſy-rupo manere, neque eapropter ab his derivari poſſe.

§. XLI.

Multam inprimis navarunt operam veteres, ut colorem illum amoene rubrum, in cujus principio principem illam vim deliteſcere in-feliciter ſibi perſuadebant, extraherent; multa ideo jactata arcana ar-tificia, numeroſae in multis medicamentorum arte factorum catalogis coralliorum tincturae r), quae tamen omnes, ſi qua pollent, effica-citatem ſuam, quantum quidem hactenus notae ſunt, neutiquam co-ralliis, ſed potius reliquis ejus coloris extrahendi gratia additis prae-ſertim liquoribus debent; ne dicam non paucas exſtare, quae ne co-lorem quidem ſuum a coralliis deducunt. Colorem illum in parte potius membranoſa, quam in oſſea, reſidere, & calore aquae bul-lientis aeſtu majore deſtrui, egregie oſtendit DEYEUX s).

§. XLII.

Pilas ſive ſphaeras marinas, quas Pharmacopoea Wirtember-gica t) toſtas in pulverem ad ſtrumas cum ſaccharo recipi imperat, ſpeciem

p) P. II. p. 191.
q) v. apud SCHROEDERUM l. c. p. 333.
r) v. praeter alios SCHROEDERUM l. c. p. 329-332.
s) ROZIER Journal de phyſique. 4. T. III. 1774. Apr. p. 274-276.
t) P. I. p. 17. 18. P. II. p. 147.

ſpeciem alcyonii eſſe, mihi haud improbabile videtur; forſan, ſi quidem eadem ſemper fuerit ſpecies, Alcyonium Burſa u) aut Cydonium x).

§. XLIII.

Superſunt bina adhuc corpora, quae tametſi, an huic regno & claſſi tribuenda ſint, a nonnullis dubitatur, analyſis tamen chemica, quae magnam alcali volatilis vim largitur y), huic potius, quam cuicunque alteri adſcribit z); ſpongiam a) volo & corallinam b), utramque a LINNAEO triviali officinalis nomine ornatam.

§. XLIV.

Nimis longus eſſem, ſi omnem ſpongiae uſum, eum etiam, qui a mechanica ejus potius fabrica, quam a quacunque alia dote pendet, chirurgicum ſcilicet enarrarem, DIOSCORIDI c) & GALENO d) jam notiſſimum; eorum quoque aevo jam in uſu fuit ſpongia in carbonem potius, quam in cinerem exuſta, & poſterior acrem eſſe & digerere memorat: Primus tamen fuiſſe videtur ARNOLDUS de VILLA NOVA, qui ſpongiam uſtam ad ſtrumas diſcutiendas facere expertus eſt,

u) l. c. p. 1295. n. 8.
x) l. m. c. n. 9.
y) New diſpenſatory. p. 231.
z) MODEL Verhandelingen der Haarlemſch Maatſchappye der Weetenſchappen 8. P. XIV. p. 97.
a) LINNAEI l. c. p. 1298. n. 8.
b) ibidem. p. 1304. n. 2.
c) Ὕλης ἰατρικῆς. Lib. IV. C. LXXXV.
d) De ſimplicium medicamentorum facultatibus LXI. GERARD GAUDANO interprete ab AUG. RICIO emend. Pariſ. 1547. 12. p. 351.

eſt, quam ejus vim alii quoque e) obſervarunt, & a magna ſalis volatilis copia, niſi in cinerem convertatur, partim adhuc ſuperſtite, atque oleo empyreumatico deduxerunt.

§. XLV.

Quo minus ergo ſal ille volatilis avolet, vaſe clauſo uri debet ſpongia, atque ut primum nigreſcit & tota quanta conteri inter digitos poteſt, eximi, in mortario vitreo aut lapideo in pulverem tenuiſſimum contundi f), & ſingulis mane & veſpere, donec auxilium notabile attulerit, bini ejus ſcrupuli g) ad drachmam integram h) vel ſicci & meraci, vel cum aqua ſubacti, vel aliis etiam miſti, quemadmodum alii atque alii pulveres ſtrumales i) docent, vel cum ſaccharo in morſulos redacti exhiberi poſſunt; optime partes ejus ſex cum quatuor elaeoſacchari aniſi commiſcentur, & hujus pulveris bis per diem 30 - 50 grana praebentur k).

§. XLVI.

Quae ſpongiis nonnunquam inhaerent glebulae lapideae, lapides ſpongiarum dicti, non ſunt, niſi lapides calcarei, tophi ad inſtar a marina aqua in foveas ſpongiae depoſiti; quae quum ſit illarum indoles, ultro patet, non diffringendis modo in veſica urinaria obviis ſed & renalibus, quibus mederi aſſeveraverat Galenus l), eſſe impares.

§. XLVII.

e) Spielmannus l. c. p. 568. New diſpenſatory p. 259. De Haen ratio medendi Vindob. 8. P. II. 1757. p. 187. 188.
f) Pharmacop. Edinburg. addit. adj. Baldinger. Ed. alt. Brem. 1784. 8. p. 40. 41.
g) Spielmann l c.
h) De Haen l. c.
i) Pharmacop. Wirtemberg. II. p. 147.
k) Quarin animadverſiones practicae in diverſos morbos. Vienn. 1786. 8.
l) l. c. LIX. p. 283.

§. XLVII.

Fragilis illa, prouti quidem in officinis venit, & alba corallina, levem habet ab adhaerente aqua marina saporem salsum, caeterum insipida, & aliarum partium animalium similium in modum ex terra calcarea & filis gelatinosis conflata m) a longo retro tempore anthelminticis fuit adnumerata, eumque in finem a scrupulo ad drachmam vel sola, vel in aqua vel lacte exhibita; si pulveris forma praeberetur, non nimium teri suadebat C. GESNERUS n); alii miscebant aliis, ita AMATUS LUSITANUS o) partes ejus duas cum aequali copia seminis santonicae, cum una parte dictamni albi, una parte bistortae, una parte tormentillae miscuit; singula in pulverem contrita irroravit aceto acerrimo, in umbra siccavit, & drachmam unam ad drachmas tres exhibuit.

§. XLVIII.

Qui tamen analysin chemicam, externarum dotium, ex quibus tale quid conjicere fas est, defectum, & ipsas observationes, quibus ejus fides nititur, perpendit, is sane cum SPIELMANNO p) de vermifuga ejus vi dubitare, & aliis marinis (§. XXXVIII) aequiparare incipiet.

m) MODEL l. c.
n) Epistola medic. p. 91.
o) Curation. medic. Cent. III. Cur. 117. p. 354.
p) l. c. p. 599.

Errata.

P. 2. l. 17. loco Engeweidewürmer l. Eingeweidewürmer.
P. 3. l. 3. loc. contigit l. contingit.
—— l. 22. loc. Antipathas l. Antipathes.
P. 4. l. 1. loc. cosiderandus l. considerandus.
P. 7. l. 6. loc. medicae l. medico.
—— l. 17. loc. discrepat l. discrepet.

Theſes.

I. Turba medicorum rudiorum longe plures necat, quam eruditi ſanant aegrotos.

II. Praecipuus pulmonum uſus is eſſe videtur, ut noxium quemdam humorem ex ſanguinis maſſa excernant.

III. Acida vegetabilia nocent in febribus inflammatoriae indolis.

IV. Statura erecta homini naturalis eſt.

V. Variolas naturales Variolis artificialibus non praeferendas puto.

VI. Praeparatio infantis ſani ad inſitionem variolarum ſuperflua non eſt.

VII. Omnia ſalia alcalia fixa a plantis quibusvis deſumta iisdem viribus gaudent.

VIII. Idem valet de ſalibus alcalinis volatilibus, quae originem e regno animali trahunt. Hinc ſequitur, unum ſal alcali fixum in praxi medica alteri ſubſtitui poſſe, & eodem modo adhiberi poſſe ſalia alcalia volatilia.
